

11.
Q. D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA
De
VI DELETERIA
FUMI CINNABARIS
ANTIMONII,

QUAM
DEO AUXILIANTE
GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS
SENSU
IN ACADEMIA REGIA VIADRINA,
PRÆSIDE
DN. JOH. GEORG. à BERGEN,

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINARIO,
FAVORE ac PRÆCEPTORE SUO ÆTATEM DEVENERANDO
AD DIEM 28. APRIL. ANNI MDCCXXV.
Publico eruditorum examini fuit

JOANNES CHRISTIANUS Ungnad,
Medicinæ Cultor, Francof. Marchicus.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis TOBIÆ SCHWARTZII.

D. D. N. . . .
DISSERTATIO MEDICA

VI DELIRIA

ET QUAE

CAUSAS

DEO. ADRIANUS

GRADUUM

IN ACADEMIA

ENON. GEORG. BERGEM

MDCCCLXXII

FRANCOF. AM. TENORE


FRANCOF. AM. TENORE

FRANCOF. AM. TENORE

FRANCOF. AM. TENORE

FRANCOF. AM. TENORE





Q. D. B. V.

CASUS MEDICUS.

Vir honestus, sanæ & lacertosæ constitutionis, annorum quadraginta duorum, inter alios chymicos, quibus operam dabat, labores, tertiæ cinnabaris antimonii sublimationi, adeoque soli ejus purificationi intentus, cum quantitatem unius libræ igni sublimatorio commisisset hora matutina octava, atque dehinc per horas septem igne factis vehementi cinnabarim ursisset, jamque partem ejus non minimam actu sublimasset, circa quartam pomeridianam per amanuensem vitri rupturæ admonitus, subito quidem accurrit, vitrumque superne clausum ex arena, cui impositum erat, extrahere satagit. Ast spem præter omnem ejus partem supremam intra digitos, trahendo ad se, retinens, inferiori omni in furno relicto, e vestigio quicquid vitri cum cinnabari adhuc reliquum erat, ex fervida & tantum non ignita arena extrahit, simulque qua ore, qua naribus fumum & halitum cinnabaris calentem paulo incautius excipit. Vitro sic ad arenæ superficiem extracto, atque

A

sublima-

sublimationis opere interrupto, nihil mali de cætero metuens circa sextam corripitur nausea & anxietate cardialgica ingenti, quam haustu quidem aquæ vitæ Mathioli, itemque assumpto elixirio pectorali Reg. Dan. cum aqua fœniculi mitigare proprio consilio & motu studet, sed frustra. Elapsa hora septima sub cœna prædicta symptomata mire ingravescent, cum tumore & pallore insigni faciei, tremore artuum, virium prostratione & inquietudine maxima. Accersitus Medicus causam statim mali percontans, virumque reliquo diei tempore vegetum satis fuisse intelligens, virulenti cinnabaris fumi effectus sub hac symptomatum larva latitare haud temere suspicatur. Quare extemplo tenue theæ infusum, tantillo lactis dulcis mixtum, affatim sumendum svadet, quo in copia potu circa nonam terribiles adhuc sentit anxietates cum erumpentibus in cruribus, fœmoribus & toto pectore, rubentibus, acri sero turgidis & prurientibus pustulis, confluentibus morbillis non multum abfimilibus, sudoribus fluentibus largis & in frigidum inclinantibus, donec enormi superveniente vomitu & diarrhœa ἀνω καὶ κάτω, quicquid peregrini hauserat, efficaciter expurgaret, desuperque continuato usque ad horam decimam prædicto infusum cum pulvere quodam Bezoardico fixo vim fumi toxicam exquisite dilueret, mitigaret & frangeret, quo facto quidem quietior multum redditus, noctem ad duodecimam usque nihilominus insomnem agebat; post mediam vero noctem somno placido refectus disparentibus sub stragulorum calore pustulis omnibus mane

☀ (3) ☀
mane fausto Apolline valentior surgebat, atque Dei
singulari gratia sic satis alacer, sanitate recuperata,
altero die ad consveta sua redibat munia.

RESOLUTIO.

ARTIC. I.

Ante proximum, quem ex hac patria in exte-
ras Academias meditor discessum, dum profectuum
meorum specimen Academicum edere constitui, in-
genii vires periclitari, casumque præmissum, medi-
dico practicum, rite evolvere, atque quicquid in eo
notatu dignum contineatur paucis indicare & succin-
cte exponere visum est. Patet verò unicuique, casum
sedulo perpendenti, eundem manifesta veneni hausti
& in corpus transsumpti signa sistere, pluraque cum
his connexa gravia & vitæ periculum minitancia sym-
ptomata plus quam evidenter prodere. Quod ipsum
ut verè non minus, quam accurate nunc demonstrarem,
juvabit tribus totam hanc opellam partibus, ceu di-
stinctis suis limitibus, includere, atque (1) describere
signa acceptum venenum communiter indicantia,
quæque illorum signis præsentis casus sint conformia.
(2) a quibus proprie cinnabaris particulis vis hæc
deleteria sit derivanda, quaque ratione hæc in textu-
ram & compagem corporis humani agant. (3) U-
trum tuta, an periculi sit suspecta medicandi illa ra-
tio, qua fumigationibus cinnabarinis nonnulli adver-
sus morbos chronicos & rebelles minus provide u-
tuntur, vel cinnabaris plane combustæ fumum con-
tra ulcera tonsillarum & faucium vel scorbutica vel

venerea passim multi practicum commendant plurimum.

ARTIC. II.

Hujus igitur instituti mei probe memor, signa venenum acceptum indicantia, adeoque diagnostica, passim varia & multa, eaque sequentia à Scriptoribus Medicis recenseri adverto, scil. tumorem capitis, oculos valde tumentes, faucium & œsophagi ardorem, vel stricturam valde molestantem, ventris intumescen-
tiam, præcipue si venena fuerint mineralia, stomachi anxietatem cardialgicam spasticam, nauseam, ructus ingratos, singultum, vomitum, diarrhœam torminosam, pulsus imbecillum, lassitudinem, oscitationem frequentem, pallorem & livorem, interdum faciei & labiorum, interdum totius corporis, ne ungvis quidem exceptis, respirationem difficilem, liporhymiam vel plane syncopen cum sudoribus frigidis, tandemque præcedentibus vel deliriis vel convulsionibus ipsam mortem, eamque subitam admodum. Quibus omnibus si adjunxeris alia, aliunde adhuc petita signa, v. g. quando venenatus versatus fuit cum inimicis, veneficis, & derepente moriatur, aut quando pridem sanus, bene habitus & vegetus fuerit, aut plane in veneno interemptis, & quidem in dorso, pectore aut pedibus maculas cadaverosas, lividas, fuscas nigricantes conspexeris cum enormi abdominis inflatione, sicuti abdomen admodum intumefactum cum maculis purpureis circa claviculas apparentibus in puella veneno extincta vidit PET. PAWLIUS. *Obs. Anat. sel. Obs. XII. p. m. 24.* hoc certior semper de veneni præsentia eris.

Conf.

Conf. hac super re CASP. BARTHOLIN. Systemat. Physic. part. III. Pbyf. Special. Lib. II. Cap. XII. p. m. 344. FRID. HOFFMANNI Medicina Consultator. P. I. Decad. I. Caf. I. p. 6. 7. it. Decad. V. Caf. VI. P. 249. 250. P. III. Decad. IV. Caf. IX. p. 210. 211. P. IV. Dec. IV. Caf. III. p. 230. 231. it. HERM. FRID. TEICHMETERI Medic. forensf. Institution: Cap. XX. p. m. 174. 175. 176.

ARTIC. III.

Variant autem insigniter enumerata hæc signa, neque omnia in omnibus veneno infectis eadem serie & numero occurrunt; scilicet pro qualitate rerum multarum deleteria varia, majori vel minori, pro diverso infectorum robore & vigore, pro quantitate varia accepti toxici, plenarieque in actum jam deducti vel tempestivo Medici interventu adhuc correcti, mitigati, vel mature plane evacuati, itemque prout in nobiliores corporis partes, v. g. cerebrum, cor & pulmones, ventriculum vim & truculentiam vel mediate vel immediate exerceat, adeoque vel integris viribus, vel fractis saltim operetur. Etenim minoris vel levioris causæ levior quoque semper est effectus, & consequenter minima toxici particula non tam multa, neque adeo atrocia, excitare symptomata, sed pauciora modo, modo plura activitatis & virulentia suæ signa pro quantitatis ratione præbere potest. Quemadmodum non minus certum, sed multiplici experientia jam compertum est, sæpe plures numero eadem fercula venenata comedere, quorum unus continuo moritur, alter lethaliter incipit agrotare, tertius plane incolumis manet; Imo multos & plurimos

a veneni accepti truculentia Medentis salutarī & maturo consilio integre liberari & servari, qualia eaque notatu dignissima exempla circa cobalthum & arsenicum, ambo dira & pervulgata venena, sed lacte dulci & usu pingvium & oleosorum mirifice & fortiter adeo mitigata, ut in plurimis ne necem quidem intulerint. *Vid. sis apud FRID. HOFFM. in Cit. Med. Consultator. p. I. Decad. V, Cas. VI. p. 251.*

ARTIC. IV.

Uti verò thesi secunda adducta signa venenum actu intra corpus receptum declarant & manifeste ostendunt, ita reliqua, quibus venenorum extrinsecus corpori vel morsu, vel ictu, vel contactu, vel olfactu, vel gustu communicatorum præsentiam dignoscimus, merito heic prætermitto, quoniam ad casum præsentem haud pertinent; legi tamen de his ob selectas simulque plane singulares observationes circa plurima venena partim exotica, partim inquilina factas merentur Avicenna, Galenus, Mathiolus, Cardanus, Mercurialis, Theophrastus, Villanovanus passimque antiquorum alii, qui de venenis prolixè scripserunt.

ARTIC. V.

Meum saltem nunc est dispicere, quæ venenositatis indicia & signa casus propositus exhibeat, Lectorique B. aperte fistat. Ubi ante omnia brevissima mora & temporis illud intervallum, vix scilicet duarum horarum, attendi oportet, quo infectus pridem sanus sumum Cinnabaris excepit & brevi post horrendis sympto-

symptomatibus correptus est. Præterea subsequens
 nausea, anxietas cardialgica, vomitus, diarrhœa cum
 torminibus, totidem venenorum septicorum opera-
 tiones essentielles, evidenter evincunt, ventriculum &
 fistulam totam intestinalem à re molesta & peregrina
 fortiter irritari, fibrasq; harum partium nerveas
 motibus spasticis contrahi ac convelli. Uti nec pallor
 & tumor faciei, pustulæ prurientes rubicundæ in am-
 bitu corporis enatæ, tremor artuum, lassitudo &c.
 aliud quid dicunt, atque indicant, quam mediante ven-
 triculo totum reliquum systema nervosum inordinatis
 motibus spasmodicis succuti & contrahi, hincque hu-
 morum liberum circuitum præpediri vel plane interci-
 pi. Quibuscum omnibus si securam nimis cinnabaris
 antimonialis in medio & quidem fortissimo igne tra-
 ctationem conferas, per se statim cuius apparebunt
 signa, quæ superioribus thes. 2. allatis videbuntur,
 conformia, adeoque communem cum his, imo simil-
 limam agnoscant habeantq; causam.

ARTIC. VI.

Ad alteram dissertationis partem sensim progre-
 diens, quâ clarius jam demonstrandum est, à quibus
 proprie cinnabaris antimonialis particulis vis hæc de-
 lereria derivanda, & unice arcessenda sit, operæ pre-
 tium esse duco pauca de cinnabaris natura ejusque
 indole hic præmittere. Duplex vero reperitur cin-
 nabaris, una scil. nativa, altera factitia, eaque
 iterum duplex, nimirum vel factitia vulgaris, vel an-
 timonialis nostra. Nativa, à veteribus nativum
 diceba-

dicebatur minium, cujus rubentis venæ frequentissimæ sunt in fodinis Hispaniæ, Lusitaniæ, Angliæ, Scotiæ, Indiæ, Pannoniæ, Transylvaniæ & apud Germanos, Comitatus Tyrolensis, Hasfiæ, Bohemiæ, Misniæ, imo in vena Schisti, nonnunquam in lapide scissili cinereo more bractearum, interdum & in lapide candidissimo metallico hoc minium conspici & reperiri testis est *CASP. BARTHOLIN. in System. Phys. Phys. special. P. III. L. II. Cap. IX. p. m. 376.* refertque ordinarie formam lapidis rubri, ponderosissimi, ex quo jam olim mercurium vivum in copia excoquendi modos varios tradiderunt Dioscorides, Plinius, Mathiolus, Agricola & Libavius, quos recentiores in hoc secuti hodie adhuc cinnabarim nativam cum sale alkali, vel calce viva vel limatura martis, vel arena per retortam destillant, atq; hoc pacto pari ratione mercurium vivum, vulgari quidem puriorem, sed in se longe nondum purissimum, eliciunt, qui proin primum materiale cinnabaris principium constituit, sine quo cinnabaris in terræ visceribus nec generari, nec arte unquam produci potest.

ARTIC. VII.

Præter Mercurium cinnabaris nativæ materiale principium alterum est sulphur, sui generis succus pinguedinosus mineralis, admodum inflammabilis acido refertus quique per se igne blando facile in flores sulphuris levisimos sublimatur, cum mercurio vero intime junctus & sublimatus eundem quasi irretit,
 ex

non nihil figit, atque in stabilem ex rubro splendens substantiam vertit. Sulphur autem ex cinnabari non secus ac mercurium vivum elici, constat vel ex hoc, quando caput mortuum cinnabaris nativæ, quæ thesi priori cum terreis vel alcalicis per retortam destillata est, coquitur in aqua fontana, huicque decocto acetum affunditur, tum enim ad fundum præcipitatur sulphur, quod edulcoratum genuinas ejus proprietates refert. Est vero hujus in ipsa cinnabari longe minor quantitas, quam mercurii, quod vel sola ejus specifica gravitas unumquemque abunde docet, cujus intuitu à potiori etiam dicitur minera mercurii, *Vid. Eman. Königs Regn. min. Cap. X. p. m. 74. 75.* non autem sulphuris. Et si forte aliæ terreæ, vel lapidosæ particulæ cinnabari reperiantur accretæ, non aliter hæc, ac sordes ac recrementa mera, ad cinnabaris productionem nihil facientia, considerari merentur, quæ alii lorione crebra, communiter durch schwemmen, alii repetita sublimatione, alii ebullitione cum aqua, alii spiritus vini accensione supra ipsam, separare student, ut puriorem nanciscantur cinnabarim. *Vid. THEOPH. BONET. Medicin. Septentr. Part. II. Libr. VII. Sect. V. Cap. 62. p. m. 898. CHRIST. JOH. LANGII. Coll. Chym. Oper. Med. P. I. p. m. 681. it. Collectan. Chym. Leidens. Cap. 58. p. m. 103. 104.*

ARTIC. VIII.

Utcunque vero mercurius & sulphur cinnabarim materialiter componant, atque ex eadem denuo facili negotio experimentis variis eliciantur, actuque sic demonstrantur, hæc tamen constitutiva cinnabaris

B

princi-

principia non sunt simplicia, nec in se pura, nec benignæ adeo indolis & naturæ, ut omnis malignitatis sint prorsus expertia. Etenim etsi quidem hæc duo pro primis metallorum omnium principiis antiquissimis jam temporibus à Chymicis fuerint venditata, tantum nihilominus abest, ut pro talibus habeantur, ut potius mera principiata sint, id quod docte non minus, quam solide evicit *CHRISTOPH. SCHELHAMMERUS* in *Diss. I. de resolutione corporum per ignem*. Sunt igitur cruda, impura, composita, multis acris, virulentis arsenicalibus particulis foeta atque referta, quod de utroque cinnabaris principio asserere nullus dubito. Et mercurium quidem quod attinet, neutiquam purus vel genuinus judicandus, sive ex ipsa cinnabari nativa cum terreis vel alkalicis per retortam pellatur, sive deinceps aliquoties per se destilleretur, aut iteratis vicibus per corium transmittatur. Per corium namque multæ metallorum cum imperfectorum tum perfectorum, sed ignobilium, particulae, quibus adulterari mercurius solet propelluntur una liberrime. Per retortam quoque dum mercurius ex cinnabari elicitur, quis sponsor esse poterit, ne mercurius, jam in terræ fodinis variorum metallorum particulis mixtus, in cinnabarim abierit, à quibus ægerrime secedit; Præsertim cum stanni plumbi, bismuthi, zinchi, in visorum alias metallorum, particulas, imo ipsa horum amalgamata per retortam in excipulum abrupuisse Schrædero, Olao Borrichio & Joh. J. Bechero, Viris in chymicis laboribus versatissimis, observatum sit. *Vid. THEOPH. BONET. Medicin.*

*dicin. Septentr. P. II. Lib. VIII. P. IV. Sect. V. Cap. LXVI. p. m. 894. 895. ii. f. 7. BECHER. Phys. Subterr. p. m. 396. Quia & jam probe defœcatum laminas chalybeas purissimas, spatio trium mensium sibi commissas, rubigine obduxisse, sicque effectum acidis vel falsis salibus alias proprium edidisse, probe notaverit Ol. BORRICHIIUS l. f. c. de mercurii puritate sequentem in modum judicans, granum unum suspecti mercurii carboni incandescenti impone, & leniter affla, si quiete fumando recedat totus, germanus est mercurius. Si carboni instrepat & crebris saltibus fugam moliat, spurius censendus; quanquam meo quidem iudicio neque hic mercurius purissimus & benignus plane haberi queat. Quibus omnibus desuper accedit, ipsum mercurium, ex cinnabari elicatum, vel sæpius deinceps per se per retortam destillatum, semper aliquid fordium relinquere, nec super pruna sub fumi forma avolare totum, sed relicta vel cuticula vel macula, multa peregrina sub fumo perdere. Manibus quoq; frequenter tractatum, vel lixiviosis liquoribus lotum, vel in mola philosophica tritum sædam deponere nigredinem inq; usus medicos tractum, atq; interne vel externe adhibitum pyralismum excitare, aliaq; gravia interdum & periculosa inferre symptomata, quorum ratio fundata unice est in malignitate mercurii arsenicali, de qua legi meretur MICH. ETMULLERUS *Pyrotechn. rational. Lib. I. Sect. IV.* cujus partem in mercurio dulci superstitem quoque adhuc esse affirmat JOH. JAC. HARDERUS in *Apiario suo Obs.* 43. p. m. 192. 193. & cujuscunque etiam conditionis fuerit mercurius, nunquam tamen eum liberum esse ab arsenicalibus salibus, refert CHRIST. JOH. LANGIUS in *not. ad Coll. chym. Oper. Med. P. I. p. 681.**

ARTIC. IX.

Ut adeo summe defœcatus & omni malignitate sua exutus mercurius corvo albo in medicina rarior sit: Jactant equidem hic alchymistæ præter mercurium Philosophorum, quem ceu maximum mysterium Artis suæ magistris merito relinquo, mercurium metallorum, quem omnis fœculentæ nigredinis expertem, riteq; fixatum, panacæam esse prætendunt, eamq; miræ virtutis in epilepsia, scorbuto, cancro, lue venerea sine salivatione feliciter curandis. Sed utinam spem de hoc factam amplissimam pluries factis implevissent, neque tot verborum tricis & densis ac laboriosis involucribus rem adeo pretiosam & salutarem profunde involvissent, hæcque sua misteria tanto studio occultassent, ut plurimi in conficiendo tali mercurio & oleum & operam multoties jam perdidissent. Quicquid tamen sit, etsi non ausim equidem præfracte negare, mercurium plane ex metallis confici arte non posse, quandoquidem metallorum mercurificationem sulphure arsenicali se perfecisse multi testantur chymicorum, nego tamen, hunc tantarum virium esse, ut promissum effectum reipsa præstet, præcipue cum in his morbis nihil laude digni præstiterint, quotquot pretiosis his arcanis saluti hominum se consulturos esse plus sapius sponponderint, & totis viribus laboraverint.

ARTIC. X.

Neque minoris impuritatis pariter ac malignitatis particeps deprehenditur cinnabaris nativæ sulphur; de hoc enim notanter scribit Thom. Bartholinus.

linus. Vidimus in officina JOH. GODOFREDI BECKER sulphur nigrum ex cinnabari nativa, seu minera mercurii, extractum & separatum, ut periculo carere non videatur pulvis, ex cinnabari nativa in capitis affectibus etiam a magno Cratone exhiberi solitus. Ex aliquot libris duas tantum cinnabaris pure habuit, ex quibus uncias octo sulphuris nigri ardentis separavit. Ex sublimato illo sulphure elicitur quoque mercurius currens & sulphur priore nigrius. Unde conjecturam facit, siquidem illud cum mercurio conjungi non potest, & ex utroque cinnabaris constituitur, conducibile non esse, ante purificationem in usum trahere cinnabarim; nam assumpto pulvisculo pro una dosi quintam ejus partem constitui ex sulphure nigro arsenicali. Vid. THEOPH. BONET. Medicin. Septentr. P. I. Lib. I. Sect. IV. Cap. IX. p. m. 62. Cui in hoc non tantum apertis verbis adstipulatur, sed Bartholini sententiam planius pleniusque confirmat CHRIST. JOH. LANGIUS, inquires. Sciendum primo cinnabarim nativam multifariam esse, pro diversitate sulphuris concurrentis cum mercurio. Optima tamen præ reliquis est cinnabaris, quæ sublimatur ex minera cinnabarina hungarica, illa namque participat multum de sulphure nobiliori de natura auri, eruitur siquidem in illis locis copiose satis pretiosum hoc metallum. Nihilominus tamen ut ut dictum sit, nobilissimum medicamentum latitare in cinnabari nativa hungarica, plurimique sint ex practicis, qui cum Cratone palmam huic speciei nativæ cinnabaris præ reliquis omnibus factitiis attribuant, tamen sciendum, nunquam non cinnabarim esse suspectam, si non ex alia ratione, plurimum tamen ob sulphur arsenicale simul cum aliis sulphureis & mercurialibus partibus conjunctum, id enim extra omnem controversiam est

positum, vix quidem sulphur aliquod nativum reperiri, cujus socius individuus non reperiat, adeoque utique opus habet medicus, quod si velit in usum vocare cinnabarim, illam non nisi probe depuratam usurpet. Vid. notata ad Collegium Chym. CHRIST. JOH. LANGII in ejus Oper. Tom. I. p. m. 681. Ex quibus partim sulphuris cinnabarini allegata malignitas, partim quoque sublimationis reiteratae vera ratio & necessitas clarissime liquet, quandoquidem sulphur arsenicale, tanquam maxime volatile, iteratis sublimationibus ob tenuitatem avolat, mitiori sulphure juncto manente mercurio in ipsa cinnabari.

ARTIC. XI.

Quibus omnibus circa nativam cinnabarim rite jam animadversis, ordine praescripto porro ducor ad cinnabarim, tam vulgarem, quam antimoniam nostram, utramque factitiam, quo ex utriusque attenta contemplatione tandem innotescat, a quibus proprie cinnabaris antimonialis particulis vis fumi ejus deleteria sit derivanda. Sicuti igitur ars in plurimis naturae simia & imitatrix audit, ita in praeparanda cinnabari vulgari neque aliis ingredientibus utitur, quam ex quibus in terrae sinu & gremio cinnabaris nativa generatur, quae nec alia, nec plura, quam mercurium & sulphur esse, ex superioribus jam abunde constat. Quare chymicus ex his cinnabarim facturus sulphuris parti uni, in vase figulino liquatae super igne, aspergit mercurii per corium pressi partes tres, haec spatula lignea agitando mercurium subigit, donec massa nigrescat, quam sublimat in vasis convenientibus, sicque cinnabarim

rim factitiam acquirit, cujus productio ex miscela horum ingredientium tam certa & constans est, ut CHRYSI. JOH. LANGIUS in Notis ad Colleg. chymicum Oper. Med. P. I. p. m. 682. referat, *nunquam mercurio sulphur admisceri posse, nisi cum mutatione in colorem rubicundum.* Cinnabaris autem antimonii, quæ ex præparatione butyri antimonii, cujus parergon est, obtinetur, ex antimonii crudi pulverisati parte una & mercurii sublimati corrosivi partibus duabus intime mixtis, & ex retorta destillatis post butyrum, quod aucto sensim igne primum prodit, tandem copiose satis sublimatur, inter quam & factitiam nulla alia interest differentia, nisi quod ad factitiam præter mercurium vulgarem sulphur crudum, ad antimoniale verò præter mercurium sublimatum corrosivum, sulphur antimonii concurrat, atque hinc pro sulphure antimonii rubicundiori cinnabaris quoque antimonii ordinariè magis ex obscuro rutilet, factitia vero cum exaltato colore rubicundo magis splendescat.

ARTIC. XII.

Interim quemadmodum utraque recipit mercurium & sulphur, impura æque ac superius in cinnabari nativa, indicata principia, ita ejusdem quoque malignitatis utraque merito suspecta judicatur; Antimonium enim, cui mercurius sublimatus corrosivus additur, est corpus minerale, compositum, ex sulphure arsenicali inflammabili, & substantia mercuriali metallica concretum, cujus pars sulphurea, maxime noxia, partim fumo venenato, partim flamma cœrulea in antimonii incineratione, aut fusione, in scoriarum reguli antimo-

antimonialis coctione, ac denique in florum antimonii sublimatione adeo ad sensum sese manifestat, ut de existentia ejus nemo facile dubitaverit; Quoniam vero semper adhuc participat de mercurii & arsenicali antimonii substantia, malignæ quoque & drastrictæ indolis, imo in minima dosi sumptum, vehementissimum emeticum est; Ad vim autem ejus toxicam clarius probandam non possum quin casum singularem adducam a Clariss. D. Præside hic loci ante aliquot annos observatum, ubi novem annorum puer loco cerevisiæ fursenwaldensis vesperi circa quartam solutionis sulphuris antimonialis unciam unam avidè ebibebat, unde vix deglutito liquore œsophagi molesta strictura, sensu strangulationis, vehementi cardialgia, vomitu frequenti & plane enormi, ad decimam vespertinam usque durante, pallore & livore totius corporis, artuum ingenti tremore, atque plerisq; supra recensitis accepti veneni symptomatibus corripiebatur, quæ certo etiam certius in universales motus convulsivos & epilepsiam tandem funestam abiissent, nisi misero mature adhuc opem tulisset Medicus, eundemque diluto valde lacte dulci, copiosissime propinato, ex orci faucibus eripuisset. Cui casui analogæ quoque est alia, in brutis quidem, facta observatio, sed majori longe periculo conjuncta, nempe offenderant in stabuli angulo quatuor porci plurima vasa chymica, fistilia, cucurbitas, retortas tubulatas, ollas varias & id genus alia, quæ rostris suis fortiter agitabant, invertebant, alia illorum plane frangebant, inter hæc vero diffracta cum

cum esset retorta tubulata satis ampla, ex qua olim flores antimonii erant sublimati, quorumque portio interne colli lateribus adhuc adhærebat, accidit, ut porci omnes & ore & rostris partem horum non exiguam exceperint, unde è stabulo emissi quasique in vertiginem acti, miris motibus convulsi omnes quatuor moriebantur. Ex quibus phænomenis nemini non sulphuris antimonialis vis deleteria abunde & luculentissime patet. Sed nec minoris virulentiaë particeps est pars antimonii altera mercurialis, scilicet metallica & regulina, hæc quippe, præterquam quod introsumpta violentissima emesi operetur & horrenda inferat symptomata, in igne mercurii ad instar tota propemodum avolat, ejusque fumus æque noxius habetur, ac fumus mercurii vulgaris. Mitto non paucos chymicorum anxie adhuc desudare in genuino mercurio ex antimonio eliciendo, omnibus suis arsenicalibus sordibus probe repurgato, pro quo tamen accipi nequit, qui in destillatione butyri antimonii & vivus in excipulum transit, & ipsam ingreditur cinnabarim, quæ a vulgari parum, vel nihil differt, cujus pravitas verò ex antedictis sufficienter descripta est, sicuti ex haustis mercurii fumis cardialgiam, scotomiam, pallorem faciei, tremorem artuum, pulsus propemodum interceptionem & consequenter eandem mercurii pravitatem, notavit THOM. BARTHO-
LINUS *Act. Hafniens. Vol. II. Obs. 79. p. m. 196. 197. it. Ephem. N. C. Dec. I A. I. obs. 81.*

C

Art. XIII.

ARTIC. XIII.

Expositis sic paulo specialius cinnabaris antimonialis particulis virulentis & malignis, paucis adhuc explicandum restat, quomodo hæ activitatem suam in corpore humano exerant: Ubi sciendum, cum in sulphure æque ac mercuriali antimonii parte arsenicale quid lateat, harum arsenicalium partium, in utraque activitatem mire intendi summa utriusq; principii rarefactione, ab igne inducta; etenim quemadmodum præparata pleraque mercurialia fortioris efficaciam semper deprehenduntur, prout ipse mercurius ab additis salibus corrosivis magis divisus & in minores moleculas solutus est, *Vid. ALEXANDR. THOMSON Diff. IV. Med. de mercurii operationibus p. m. 85. 86. &c.* ita verosimile valde videtur, impurum mercurialem & sulphureum cinnabaris fumum ore exceptum, cum saliva intime subactum, in ventriculum demissum, ac liquore gastrico vel falso vel acido exaltatum tenerrimis œsophagi & ventriculi fibrillis nerveis applicari, easque stimulis acerrimis molestissime irritare, ut mediante nervorum consensu maximo, quem ventriculus cum capite, œsophago, intestinis, hepate, renibus totoque reliquo corpore habet. *Vid. FRID. HOFFMANNI Diff. Med. de consensu partium*, tota fere corporis œconomia graviter perturbari, atque sic superius enumerata symptomata facile produci queant. Id saltem hic mirari subit, qui cinnabaris tertiæ sublimationis, adeoq; satis propemodum purificatæ, fumus tot nihilominus tamque terribilia induxerit symptomata, quod ipsum, argumentum præbet infallibile cinnabaris antimonialis


lis nondum sufficienter, neque in totum, ab arsenicalibus particulis probe repurgatæ. Quod autem innoxie, plus sæpius in substantia sub cephalicorum pulverum forma ad grana vj. viij. x. ex ultra à Practicis exhibeatur, vel inde accidere mihi persuadeo, quod longe non tantopere ejus particulæ in ventriculo resolvantur ac ab igne sub fumo, profundiusq; pingvedinosæ sulphuris substantiæ involutæ alium plane edant effectum; cujus rei exemplum habemus in æthiope minerali, qui ex mercurii vivi parte una & florum sulphuris partibus duabus conficitur, solaque tritura in pulverem nigricantem redactus in puerulis verminantibus, ceu præcipuum antihelminthicum, tutissime introsumitur, & sine ullo salivationis metu operatur.

ARTIC. XIV.

Postremo paucis adhuc mihi expendendum restat, utrum tuta, an periculi suspecta sint suffumigia cinnabarina vel mercurialia? Quod ut rite determinem, fateor, me de his omnibus non aliter judicare posse, quam quod sint summe periculosa, ac à prudenti quovis Medico prohibenda potius, quam commendanda. Si enim, quod Thom. Bartholinus recenset, mercurius ex lamina plumbea, mercurio oblinita, in tumorem canerosum transiit, & inde sub forma mercurii destillavit; *Vid. ejus Historiar. Anatom. varior. Centur. I. Hist. VII. p. m. 18.* Si cinguli saltem mercurialis usus fuerit infelicissimus, notante id *GVIL. HILDANO Observ. Cent. V. Obs. 93.* Si denique inunctionum mercurialium funestæ plurimæ extant historiæ
Vid.

*Vid. Ejusd. HILDAN. Observ. Cent. III. it. JOH. RHODII
 Observ. Medicin. Cent. III. obs. 86. p. m. 167. Quidni mer-
 curius in fenum resolutus poros corporis humani
 penetraret profundissime, nervorumque systema of-
 enderet gravissime, cujus rei passim infausta æque
 ac tristitia leguntur exempla. Conf. PETR. POTERII
 Observ. Cent. I. obs. 68. p. m. 93. cum notis FRIDR.
 HOFFMANNI. Et quamvis CAROL. MUSSITA-
 NUS Trutinae suæ Chirurg. Tom. II. Cap. 41. p. m. 186. de ul-
 ceribus tonsillarum scribat, se plus millies expertum
 esse, quod suffumigio ex cinnabari & thure, cum tabaci
 fistula instituto, ulcera tonsillarum venerea pluri-
 mis insanabilia, feliciter a se fuerint sanata, seque ad
 hæc tanquam ad sacram anchoram confugisse; longe
 tamen tantum hujus Viri fidei & assertioni non defero,
 ut vel mihi laudabilem inde effectum persvaderi pa-
 tiar, vel aliis talem persvadere unquam ausim, cum
 experientia doceat prorsus contrarium, atque fenum
 quemvis mercurialem vel ore vel naribus exceptum
 venenatum censendum esse, vel casus præsens o-
 mnino abunde declaret.*

F I N I S.



EXerisingenii fruges in Palladis horto,
 Hoc quid? dum primo gramine
 prata virent,
 Proventu doctō tua confita jugera
 splendent,
 Hoc quid? ut in ipso limine Veris opes.
 Igneus has studiis ardor properavit aristas,
 Sic hæc castalio crevit ab Axe Ceres.
 Hunc ergo nostri rivi stillare Sufurrum
 Commixtum Votis per tua prata parant:
 Servent Altra Poli hanc properantem nectare
 mentem,
 Plenis ut ferves præmia larga cadis.
 Utque Tuis campis fructus jam Vere relucent,
 Sic tuus Autumnus foenora quanta feret?

Ista Nobilissimo Domino Respondenti
 obtentas Specimine Academico lau-
 des, nec minus Parenti ipsius admo-
 dum Venerando, felicis ingenii, mul-
 tæque Spei Filium gratulaturus, po-
 ni voluit

M. Georg. Nath. Kistmacher.

Artibus

ARtibus instructus divulgās dulcis
Amice

Optatum specimen asidui studii.
Non fictos ideo dat plausus doctus A-
pollo

Gaudet Musarum pectore tota co-
hors.


Decernit, dicens, evadas arte peritus
Morborum domitor, langvida mem-
bra levans.

Paucis hīce fausta quæq; no-
bilissimo & doctissimo Dm.
Respondenti, amico suo in-
tegrissimo, apprecatur

C. A. à Bergen,
Med. Stud.









01 A 6603

ULB Halle


003 092 291

3



1007







B.I.G.

Farbkarte #13

H.

L. D. B. V.
DISSERTATIO MEDICA

De

**VI DELETERIA
FUMI CINNABARIS
ANTIMONII,**

QUAM

DEO AUXILIANTE
GRATIOSISSIMI MEDICORUM ORDINIS
CONSENSU

IN ACADEMIA REGIA VIADRINA,
PRÆSIDE

DN. JOH. GEORG. à BERGEN,

MED. DOCT. ET PROF. PUBL. ORDINARIO,
FAVORE ac PRÆCEPTORE SUO ÆTATEM DEVENERANDO

AD DIEM 28. APRIL. ANNI MDCC XXV.

Publico eruditorum examini fuffit

JOANNES CHRISTIANUS Ungrad,

Medicinæ Cultor, Francof. Marchicus.

FRANCOFURTI ad VIADRUM,
Literis TOBIÆ SCHWARTZII.

